



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1711

Sectio Octava. Septimum argumentum ex mente Pontisicum, præcipuè
Vrbani VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84783](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84783)

nisi Divina revelatione instruantur: quos in hac perfectione imitatum esse B. Virginem credibile est, cum, & facile poterit, & melius, ac perfectius hoc fit. Hæc ad litteram eximius Doctor de Deipara. Appello modò ad Catholicorum Tribunal, ad quod voco Probabilioritas, quos omnes suppono in Deiparam, & ejus imitationem summè propensos, & ita arguo: Si Deipara, ut perfectissimè operaretur, immò nè errore aliquo materiali inficeretur, satis fuit judicium reflexum de probabilitate; quomodo, per Deum immortalem, Probabilitas deobligantes à judicio directo de rei veritate, tamquam laxones, & factitios Theologos haberi voluit, quando in sui tutelam perfectissimum habent Deipara, & Beatorum, eorumque omnium, & qui summà prudentià gaudent, exemplum? Dixerint alij quidquid libuerit, meum votum est Deipara exemplar.

Tertiadecima radix est confusio nostræ probabilitatis cum Academicorum probabilitate, à quâ tamen tantum distamus, quantum lux à tenebris, ut constat ex dictis. Omitto alias, quas dabimus in argumentorum solutione.

SECTIO VIII.

Septimum Argumentum ex mente Pontificum, præcipue Urbani VIII.

§. I.

Mens Sixti IV. & V. & Urbani VIII.

SUMMARIUM.

Pontifices non omnem suam decisionem putant moraliter certam, n. 176.
Sixtus V. approbat ut probabilem utramque opinionem oppositam de adventu Christi D. ib.
Responsum Urbani VIII. quod Missionarij sequantur quamlibet ex utrumque inter TT. probabilibus, n. 177.

Efficax ex Pontificum, & Cardinalium oppositis decisionibus sumit P. Moya argumentum. Dicere autem cum M. Baro 2. p. d. 4. sect. 1. pag. 379. quòd tunc ea opinio fuerit illis semper moraliter certa, est offendere sapientiorum DD. indolem, qui in rebus valde incertis non putant proprias decisiones semper moraliter certas, & oppositas certò falsas; immò contrarium evidenter constat ex Sixto IV. & V. qui utramque contradictoriam de adventu, & non adventu Christi D. Adà non peccante, approbant ut certo probabilem, & Scripturæ, Fidei, & rationi consonam, ut dixi n. 127. ergo non omnis propria decisio fuit illis semper mo-

raliter certa. Lege P. Teril. de Reg. Mor. qm. 8. qui probat Decreta, & praxim Pontificum favere benigne sententiæ.

Inter cetera autem, ut ex Urban. VIII. N. ostendat licitum usum minus tute minus probabilis, exhibebit integram capit. 15. Historiæ Provinciæ Paraquariæ ex P. Nicolao del Techo, ubi dicitur; quòd Urbanus VIII. indicto sapientum virorum super Barbarorum matrimonium consulto, pronuntiaverit, Non videri sibi speciali sua dispensatione opus esse, ubi Doctorum sententiæ utrimque probabiles intercederent, sequerentur opiniones pro conditione locorum, ac hominum Barbaris favorabiliores, salva interim utriusque partis auctoritate, snerent de illis hominibus sentiendi libertatem. Hæc Urbanus apud P. Teril. l. c. n. 3. Dubium autem erat, an Barbari ad fidem conversi cogendi essent, ut primam sceminam retinerent, an verò alteri nubere possent?

§. II.

Quid P. D. Thyrsus, & Anonymus?

SUMMARIUM.

Anonymus non fidit ei responsò, & vult totam Missionariorum litem sisse circa factum, nullam circa jus, n. 178.
Rejicio, a n. 179.
Est certum dari posse verum inter Infideles matrimonium, n. 180.
Maximij valor à plurimis juris questionibus inter TT. controversis pendet, a n. 182.
Infideles juri Ecclesie non subiciuntur, ib.
Matrimonij valor facilius constare potest inter Fideles, quam inter Infideles, n. 183.

Hoc argumentum ex Urbano prolato conatu impetit Theologus Anonymus apud P. Thyrsus diff. 14. cap. 7. nec mirum, cum efficacissimum sit. Primo, quia P. del Techo nullum authenticum Urbani Decretum, nec formale responsum trahit; ergo ei non fidendum; sicut Leand. à SS. Sac. part. 3. tr. 1. §. 2. non fidit Archiepiscopo August. de Padilla testanti libro 2. suæ Historiæ Mexicanæ, se vidisse declarationem Greg. XIII. quòd potio chokolatica non frangat jejunium. De quo viva vocis Oraculo agit recens Scotista Thomas Frances in sua Semicentariâ consil. 29. Hoc scio, quòd egregius Doctor Mart. Navar. Chokolade usum asserit non violare jejunium; eò quia est potus. Secundo, quia P. del Techo non satis calluit rem, & causam, ob quam Missionarij ad Papani recurrerunt; neque enim ullæ dantur contrariæ inter TT. opiniones circa hoc,

p. Teril. 177.
P. Teril. P. del Techo. Urban. VIII.

N. 178.
Anony. P. Thyrs. P. del Techo. Leand. Paulia. Urban. VIII. Navar. Frances.

an inter Infideles Paraquarios detur verum matrimonium, nullus enim de hoc disputat. Rursum nulla quoque datur inter T. T. dissentio, an inter Infideles detur verum matrimonium; ergo Millionariorum discordia, ob quam Urbanus consultus fuit, erat unice circa factum; an aliqua ex foeminis, quas Guarani nutriebant, esset uxor legitima; & an inter Guaranos adfuerit consensus necessarius: ergo ea clausula Patris del Techo, *Ob earum opinionum diversitatem inde natam, quod Scholastici de ea re inter se dissentiant, ad Summum legum Interpretem recursum est*, talia est.

N. 179. Sed contra 1. quia in magna ndes danda non est Patri del Techo, quia formata Urbani verba non retulit, nulla quoque danda erit ulli, qui suppressis formantibus verbis aliorum sententiam recitat, vel in concionibus, vel in libris, vel in dicitu familiaribus, immo nulla ulli Historico, qui aliorum colloquia, dicta, conciones, posteritati transmittit: ergo, et si P. del Techo nec formata Urbani verba, nec scholasticis terminis Millionariorum dubium retulerit, non ideo culpandus, nisi quis Historicum cultissimum velit, ut sit Scholasticus severus. Dummodo igitur Historico non dehit veritas, nil amplius ab eo expectandum.

N. 180. P. Sanchez. P. del Techo. Contra 2. quia non nisi gratis dicitur, quod P. del Techo ignorari, quod nullus ignorat, nam P. Sanchez lib. 7. de Matr. d. 13. n. 2. haec habet: *Quaestio prima, An matrimonium Infidelium sit verum? & asserit apud Infideles esse verum, & legitimum matrimonium, etsi non ita perfectum sicut inter Fideles; & subdit hoc certissimum esse, ergo cum hoc sit omnibus certissimum, non potuit hoc P. del Techo ignorare: ergo dum dicit, ob earum opinionum diversitatem inde natam, quod Scholastici de ea re dissentiant; per to de ea re, non vult dicere, quod Scholastici dissentiant, an inter Infideles dari possit verum matrimonium, nam hoc omnes T. T. asserunt; sed to de ea re referendum ad verba antecedentia; dixerat enim, quod Guaranorum Gentis Primores solebant plane tot pellices alere, quot eorum libido, & autoritas a popularibus impetrabat; nec aliud erat manus capessendae Religionis nostrae impedimentum, quam cum monerentur unica uxore Christianos ex lege Divina contentos esse debere. Accessit huic obstaculo nimia quorundam Sociorum religiositas, ejusmodi homines ad primam uxorem adigere volentium: alij dempto scrupulo Religionem Christianam ineuntibus, quamcumque velent ex pellicibus pro uxore permittebant. Hae P. del Techo.*

Ecce ex Historico tum obex Religionis nostrae capessendae, tum divertum Millionariorum iudicium, quorum aliqui obagabant ad primam, alij quamlibet permittebant, tum quod, etsi quaestio erat circa factum, an illud Guaranorum matrimonium esset validum, attamen ea quaestio facti pendere poterat a pluribus quaestionibus juris, pro valore, aut nullitate, juxta diversa T. T. placita.

Sane innumeræ sunt inter T. T. juris quaestiones, a quibus valor, aut nullitas matrimonij pendet. Sunt, qui ad ejus valorem necessariam volunt intentionem se conjungendi, & prolem educandi: ita plures apud P. Sanchez lib. 2. d. 29. n. 9. contra alij cum P. Sanchez n. 11. & P. Licast. d. 2. de Matr. n. 19. hoc negant. Sunt qui dicunt errorem servitutis esse juris naturae obicem; contra alij cum P. Sanchez lib. 7. d. 19. esse tantum juris Ecclesiae. Sunt qui affirmant quemlibet conianguinitatis in linea recta gradum diminere jure naturae matrimonium; hoc tamen P. Sanchez cum pluribus negat lib. 7. d. 51. qui licet consentiant, quod primus gradus sit juris naturae obex, attamen valde inter se dissentiunt in designando gradu conianguinitatis in linea recta, quo matrimonium fit jure naturae irritum. Eadem lis inter T. T. est de gradibus affinitatis. En quot quaestiones juris, nempe tot, quot sunt opiniones T. T. probabiles, num hoc, vel illud sit obex jure naturae irritans. Quare P. Sanchez lib. 7. d. 73. postquam certissimum statuit, verum dari apud Infideles matrimonium, subdit n. 3. *Quando non adest in ipsorum matrimonio impedimentum jure naturali dirimens, etsi jure Canonico dirimat, (cui tamen Infideles subditi non sunt) erit tamen irritum, si contra leges ipsorum irritantes ineatur.* Ergo quaestio facti, an tale matrimonium sit validum, pendere poterat a quaestionibus juris inter T. T. ob oppositum opinandi modum controversis, & alij qui Missionarij cum T. T. opinati talem obicem esse juris naturae, adeoque matrimonium esse nullum; alij cum alijs esse tantum juris Ecclesiae, & esse validum.

Si enim circa Fidelium matrimonia, qui a N. Fide illuminantur, & quorum educatio est politica melior est, & plerumque magis consensu sunt sui consensus interni, & facilius factum exponere possunt, tot ipe juris quaestiones de eorum valore excitantur, ut patet ex eruditis libris Patris Sanchez; omnia enim, quae necessario adeste debent, & omnes obices, qui necessario abesse debent, sunt quaestiones juris circa matrimonij valorem; quanto magis (excipie obices juris Evangelici, aut Ecclesiastici dirimentes) eadem

eadem questionem locum habere poterant in matrimonio Infidelium, an esset jure naturæ nullum, an validum? Sanè longè facilius conitare potest valor matrimonij Fidelium; ut enim sit validum, satis est, ut adsint constitutiva, & desint impedimenta irritantia, sive sint juris naturæ, sive Ecclesiæ: e contra difficultus valor matrimonij Infidelium constare potest; equidem eorum matrimonium, licet adsint constitutiva, potest tantum esse nullum ob obicem jure naturæ irritantem: ergo cum T. T. sæpe inter se opponantur, & quod aliqui judicant esse obicem juris naturæ, alij volunt esse tantum Ecclesiæ, (quod non dirimit matrimonium Infidelium, sed tantum Fidelium) consequenter inter Missionarios, circa matrimonium Guaratorum, an esset validum, non tantum omnes questiones de jure, quæ locum habent in matrimonio Fidelium, sed aliæ plures, quæ locum non habent, locum habere poterant: ergo immerito dicitur, quod inter Missionarios nulla fuerit questio juris, sed facti, cum ipsum factum innumeras supponat juris questiones, à quibus ob diveria T. T. placita, juxta unos tale matrimonium poterat esse validum, juxta alios esse jure naturæ nullum.

§. III.

An ex Urbano aliquid inferatur pro licito usu opinionis certo probabilis?

S U M M A R I U M.

Negat Anonymus, n. 184.
 Affirmo cum alijs, n. 185.
 Consultum Urbani esset omnino nullum, n. 186.
 Si Urbanus dixisset sequendam probabiliorē, non dubitarem de ejus responso, n. 187.
 Consultum ex utrimque probabilibus favorabiliorē, n. 188.
 Si sit circa factum, fuit circa jus, n. 189.
 Motiva allegata in supplicatione, n. 190.
 Matrimonia Abyssinorum, n. 191.
 Est questio sit circa factum; valor tamen facti supponit dubia juris, n. 192.
 Urbanus faveat Probabilistis, n. 193.
 Questio de valore est speculativa; de licentiā declarandi nullum est practica, ib.
 Hac practica de licentiā, etsi foret minus probabilis, eo ipso quod sit conversioni Barbari favorabilior, sit probabilior oppositā, ib.

Anonymus apud P. D. Thyrium n. 59. sentit nil inferri, quia (inquit) tota lis inter Missionarios erat, an matrimonium Guaratorum esset verum, an concubinatus, ob facilitatem deserendi conjugem, & quia non alio signo externo utuntur, quam quo Tom. II.

concubinam ad tempus recipiunt, omittendo signum externum exprimens consensum necessarium ad matrimonij valorem; & ideo plerique Missionarij judicantes nullum, permittebant baptizatis, ut aliud inirent; alij econtra circa nullitatem scrupulizantes cogebant ad primam. Ideo Urbanus respondit, *Urbanus. Non videri sibi speciali dispensatione opus esse, ubi DD. sententiæ utrimque probabiles intercederent, sequerentur opiniones pro conditione locorum, & hominum Barbaris favorabiliores, salvā interim utriusque partis autoritate, finerent doctis hominibus sentiendi libertatem.* Ecce (ait Anonymus n. 61.) in Urbani sententiā nullus de opinionibus hinc inde circa jus probabilibus sermo; immo Card. de Lugo in Supplicatione nullas refert, nec inter T. T. ullæ sunt circa præsentem materiam: ergo tota lis erat circa factum, an Guaratorum matrimonia essent vera; subdit ad summum ex Urbano inferri, quod ad licitè operandum non sit semper necessaria certitudo, non autem quod satis sit certa probabilitas.

Plurimum inferri pro licito usu cuiusvis certo probabilis ex decreto Urbani sentiunt P. Terl. l. c. P. Card. & P. de la Fuente in primam ab Innoc. damnatam, & Card. de Lugo causæ relator: & quidem Urbani mens est adeo patens, ut non mihi ex puro libito negari possit; equidem rogatus à Card. de Lugo, quid consilij à T. T. Guaranis opposita inter se circa matrimonij valorem opinantibus, ita ut aliqui ad primam obligarent, alij quamlibet permitterent, capiendū esset, dum convertebantur, postquam Urbanus dixit nullā suā speciali dispensatione opus esse, subdit, quod ubi certo probabiles DD. sententiæ utrimque intercederent, sequerentur opiniones pro conditione locorum, & hominum Barbaris favorabiliores, & salvā utriusque partis autoritate, finerent doctis hominibus sentiendi libertatem. Hæc Urbanus, & cum eo Card. de Lugo. Modò ego.

Si ex certo probabilibus DD. sententijs sequi non liceret omnem certo probabilem, & quidem Barbaris favorabiliorem, nec quis inter certo probabiles liber esset quamlibet eligere, perperam Urbanus dixisset, & consulisset Missionarijs, ut ubi DD. sententiæ utrimque probabiles intercederent, sequerentur Barbaris favorabiliorem, & quod doctis hominibus fineretur libertas sentiendi; sed hoc salvo Urbani decreto, dici non potest: ergo, juxta Urbanum, ex certo probabilibus DD. sententijs licet quilibet certo probabilis, & inest nobis libertas sentiendi alterutram ex illis: ergo si ob probabiles DD. sententijs, quarum una esset speculativa

N. 185.

P. Terl. P. Card. P. de la Fuente.

Urbanus. C. de Lugo.

N. 186.

M cula

culativè probabilis pro valore, alia pro nullitate, diffidium inter Missionarios fuisset, si stans pro nullitate esset conversioni Barbari favorabilior, & certò probabilis, hæc, juxta Vrbanum, eligenda erat, quia erat conversioni Barbari favorabilior, etsi esset aliquantò minus speculativè probabilis stante pro valore.

N. 187. Confirmito, & quæro, an si P. del Techo retulisset Vrbanum dixisse, *sequeretur quilibet probabilior*, an Vrbanus responsum vocaretur in dubium? Non sanè, quin Anonymus declamasset sententiam de licito usu cujusvis certò probabilis practicè exploitam ab Vrbanis: ergo cum Vrbanus non dixerit, *sequeretur probabilior*, cum faciliè potuisset, sed *sequeretur ex certò probabilibus Barbaris favorabilior*, planum ex Vrbanis est, licitum sequi omnem certò probabilem. Rursus quæro, an si Vrbanus dixisset, *sequeretur probabilior*; ego verò ut licitum attulerim utrum cujusvis certò probabilis, ita interpretaretur, *sequeretur probabilior sibi, aut alijs*, (qui autem sibi minus probabilem sequitur, sequitur opinionem alijs probabilior) quæro, an mea interpretatio placeat? Sanè displiceret, quia extorta: ergo à pari, dum Vrbanus palam dicit, ubi DD. sententiæ utrimque probabiles intercederent, sequeretur Barbaris favorabilior, extorta erit interpretatio Anonymi, sequatur quilibet sibi probabilior, præcipuè cum aliqua alicui Missionario probabilior, potuisset non esse Barbaro favorabilior, ejus conversioni. Numquid Vrbanus latinum idioma ignoravit, ita ut per tò *probabiles* intellexerit *probabiliores*, & per tò *favorabilior* Barbaro, intellexerit probabilior pro matrimonio?

N. 188. Hinc patet Vrbanum non tantum negasse necessariam esse certitudinem nullitatis, sed insuper asseruisse, satis esse certam probabilitatem, nam expressè ait, liberum sequi quamlibet certò probabilem Barbaro favorabilior: ergo ex Vrbanis non tantum infertur, quòd non sit necessaria certitudo, ut vult Anonym. n. 60. sed etiam infertur satis esse certam probabilitatem. Equidem si inter probabiles præferenda esset probabilior, cur Vrbanus eum terminum *probabilior* adeo obvium studiose omittit, & utitur termino *favorabilior* Barbaro, & hanc consulit, dummodo sit certò probabilis, & faveat conversioni Barbari? Ergo cum mens Vrbanus sit adeo plana, ut inter certò probabiles non consulat probabilior, sed favorabilior, planum erit, quòd si detur duplex opinio classica inter TT. una favens nullitati, alte-

ra valori, si favens nullitati, sit certò probabilis, & simul conversioni Barbari valde faveat, licebit eam sequi, & declarare nullum prius matrimonium, deposito judicio proprio probabiliori pro valore, & assumpto cum alijs TT. judicio certò probabili, stante pro nullitate. Sanè si mihi errandum est, errare malo cum Card. de Lugo, P. Terri, P. Card. P. de la Fuente, & alijs, qui eam Bullam Vrbanis legitimam volunt, & nostram doctrinam inde deducunt.

Ad rationem Anonymi nego totam Missionariorum litem fuisse circa factum, an matrimonium Guaratorum esset verum; immo si lis fuit circa factum, eo ipso fuit circa jus, a quo valor, juxta oppositas TT. sententiæ, aut nullitas matrimonij pendet, puta, an adesset consensus aptus, an abesset omnis obex juris naturæ; etenim etsi omnes TT. conveniant intentionem esse de valore matrimonij, quæ autem, & qualis disconveniunt; similiter etsi conveniant necessaria esse verba (excipe mutum) experimentia consensus internum; quæ autem, & qualia, quadruplicem refert P. Sanch. lib. 2. d. 31. opinionem. Demum etsi conveniant, abesse debere omnes obices juris naturæ irritantes, disconveniunt tamen in illis assignandis. Quid plura? Omnes ferè juris quæstiones, de quibus *per septem libros* agit P. Sanch. locum habere poterant inter Guaratorum Missionarios, & ob illas circa valorem matrimonij Guaratorum diversimodè opinari, nisi oppositis TT. sententijs: ergo falsum, quòd Vrbanus locutus non sit de opinionibus inter TT. probabilibus, & quòd nullæ TT. opiniones dentur circa rem præsentem; omnia enim juris dubia à TT. agitata circa matrimonij valorem locum habere poterant in matrimonio Guaratorum.

Falsum 2. nullas à Card. de Lugo causas N. relatores citatas opiniones oppositas utrimque probabiles; nam in supplicatione allegata à P. D. Thyrio n. 49. legitur: *Hic accedit, quòd frequenter in ijs conjugijs non utantur aliquo signo externo, diverso ab eo, quo concubinam ad hebdomadam, aut mensem accipiunt.* En dubium juris; etsi enim inter TT. certum sit requiri signum externum exprimens consensus internum, attamen valde dubitatur, quale esse debeat: ergo Card. de Lugo, quantum in re patenti satis erat, dubium juris indicavit; dein etsi non indicasset, nil obstat, cum satis obvia fuerint Vrbanis TT. sententiæ inter se oppositæ, quæ circa valorem matrimonij Guaratorum misceri poterant. Quin nil magis contra Anonymum, quam juris dubia, quæ vel nolens indicat, dum refert

refert litem inter TT. Guaranos derivatam, quatenus Guarani vel nullo alio signo utebantur, quam quo concubinam ad tempus affumebant, vel ob nimiam facilitatem conjugem deserebant.

N. Sanè satis fuisset legere quæ idem C. de Lugo d. 8. de Sacram. sect. 8. tradit: quærit, An matrimonia Abyssinorum utentium repudio sint valida? Ait n. 128. nulla esse, si dicti Schismatici eo animo contrahant, ut contrahere nollent, nisi sub conditione, quod repudio uti liceat, quia tunc ne quidem implicitè volunt perpetuitatem, quæ est de essentia matrimonij. Et P. Sanch. lib. 5. d. 12. n. 4. quærit, An valeat matrimonium Infidelium ea intentione initum, ut tot uxores alant, quot possunt? Ait, quod si hoc deducatur in pactum, matrimonium erit nullum; si non deducatur, erit validum cum primâ; si vero in eam animo dandi libellum repudij, quoties juxta suum ritum licet, etiam non deducatur in pactum, erit nullum: & d. 13. quærit, an sit validum, si ab uno contrahente addatur conditio opposita valori? & relatâ quadruplici TT. sententiâ, quarum prima tunc valere, negat P. Sanch. valere.

N. En dubium simile omnino dubijs Guarano-
192. norum, quod etiam sit circa factum, nempe an
P. Sanch. tale Infidelium, aut Abyssinorum matrimo-
C. de nium valeat, supponit tamen juris quæstio-
Lugo nem, sive omnibus TT. certam, quâ P. Sanch. & Card. de Lugo dicta dubia solvunt; sive inter TT. controversiam, quâ P. Sanch. ultimum dubium resolvit: ergo etiam sit quæstio facti, an matrimonia Guarano-
190. rum sint vera, ejus tamen resolutio pendet à quæstio-
C. de nibus juris, circa quas sepe TT. inter se op-
P. Thyr. ponuntur, & quibus Missionarij utebantur, aliqui stando pro valore, alij pro nullitate: ergo non nisi ut Urbani responsum eludatur, vocatur in dubium, & non nisi gratis dicitur, quod inter Missionarios nulla fuerit quæstio juris, sed tantum facti.

N. Demum falsum est, quod Urbani Bulla
193. non faveat Probabilistis, faveat enim ut rectè
P. Teril. P. Cardenas, & P. de la Fuente. Sanè si Urbanus obligasset ad probabiliorè, nemo negaret favere Probabilioristis; cum autem non obliget, sed permittat Missionariis libertatè sequendi quamlibet inter TT. probabilem, quomodo non faveat Probabilistis? Explico distinguendo quæstionem speculativam à practica, & directam à reflexâ. An matrimonium cum tali obice sit validum, aut nullum, est quæstio speculativa, & est directâ, contemplatur enim matrimo-
P. de la nium valorem; & circa hoc dubium dari possunt sententiæ oppositæ certò probabiles;
Fuente. n. 11.
Viban.

una affirmans eum obicem esse juris nature, & ideo matrimonium esse nullum; alia esse tantum juris Ecclesiæ, & ideo esse validum: utraque autem sententia speculativa opposita esse potest Missionario, vel æquè probabilis, vel una probabilior alterâ. Alia quæstio est reflexa, & practica, an liceat declarare nullum matrimonium, quod speculativè judico certò probabiliter nullum; & circa hoc dubium dari quoque poterat duplex inter Missionarios opinio, una affirmans licere, alia negans. Urbanus hæc acutè perpendens, & tantam matrimonij Guarano-
191. rum incertitudinem considerans, dicit quod eligatur certò probabilis Barbaro favorabilior: ergo si sententia certò probabilis negans matrimonium cum primâ esse validum, esset conversioni Barbari favorabilior, hæc eligenda erat, & nullum declarandum matrimonium; hæc enim ipsa opinio practica docens licitum tunc declarare nullum, quia est Barbari conversioni favorabilior, evadit longè probabilior oppositâ.

§. IV.

Alia ex Anonymo.

S U M M A R I U M.

Defenditur P. Terillus, n. 194. & 195.

P. Sanch. præoccupasse videtur dubium Guarano-
196. norum, n. 196.Declaratio prudentialis convenit etiam viro do-
cto, ib.Anonymus de suo addit: Sequantur favorabilio-
rem, si sit probabilior. Rejicio, n. 199.Certitudo moralis inter classicas TT. sententiâ adeo trivialis offendit Christianam sapien-
tiam, n. 200.P. Sanch. & P. Dicast. oppositam propria vocant
probabilissimam, ib.Si nullitas fuit moraliter certa, inaniter Papa
consultus fuit, n. 202.

Motiva supplicationis, n. 204.

Duplex de jure quæstio ab Anon. allegata, n. 207.

Fidelium matrimonium maturius initur, n. 208.

In quibus TT. circa matrimonij valorem differ-
rant, & non differant, ib.Nulla esse potuit quæstio, an satis esset certitudo
moralis, n. 209.Missionarij non petiere ab Urb. ut dispensaret,
aut ut declararet conjugium esse validum, aut
nullum. Quid petierint? n. 210.

Instat iterum Anonymus contra P. Teril. N. 194. dicentem, quod Urbanus rogatus à Missionariis, qualiter in re ad jus naturæ spectate, seu ad valorem matrimonij, se gerere deberent, petiisse pro Infidelibus ad fidem conversionis dispensandi facultatè. Instat dicendo, quod

quod res diversas confundat, nam rogare pro dispensandi facultate, non est rogare qualiter in ea re difficili se gerere deberent.

N. Sed contra; quia P. Terillus *qu. 8. de Reg. Mor. n. 5.* duo asserit, nempe, Missionarios rogasse, tum qualiter ea in re se gerere deberent; tum pro dispensandi facultate, & quod Papa eos directurus, & conscientis Missionariorum, & Infidelium convertiorum contulurus examen peritorum adhibuerit, & responderit, sibi videri non esse opus speciali dispensatione, ubi probabiles hinc inde DD. sententiae intercederent, sequerentur Barbaris favorabiles; sic enim tutos fore. Hac P. Teril. in quo nulla confusio, sed summa claritas, ostendendo quid Papa tum interrogationi, tum petitioni Missionariorum responderit: interrogatio erat, *quomodo se gerere deberent*: Papa respondit: *Sequerentur opiniones probabiles Barbaris favorabiles*: supplicatio erat, *ut facultatem dispensandi daret*; Papa respondit, *necessariam non esse specialem dispensationem, quoties probabiles utrimque sententiae darentur*. Quid clarius?

N. Sanè P. Sanch. litterario orbi notissimus 196. praevidisse videtur dubium Missionariorum, & Urbani responsum; etenim postquam *lib. 8. d. 6. n. 18.* quaesivit, an in dubio, num res egeat dispensatione, possit Episcopus dispensare, ait distinguendum: *Si res sit omnino dubia, an interveniat impedimentum, nullà opus est dispensatione*: (en casus in terminis, & ipsa Urbani responsio mutatà tantum personam Episcopi in Papam, & matrimonio Fidelium in Infidelium) *quia in hoc dubio praesumptio est pro libertate ad contrahendum*. Subdit, quod ut tolleretur scandalum, posset declarare non esse opus dispensatione, vel ad cautelam dispensare: sed credo hanc non esse veram dispensationem, & ideo, si in toto deinde matrimonio constat impedimentum dirimens, quaerenda esset dispensatio à Pontifice, quia nullibi invenio posse Episcopum verè dispensare in dubio de impedimentis dirimentibus; sed est quaedam (Nota bene) prudentialis declaratio, quam etiam vir doctus facere posset. Si autem res non sit omnino dubia, sed praesumptio sit pro impedimento, est necessaria dispensatio, nec Episcopus potest nisi in casu magnae necessitatis. Hac P. Sanch. *n. 20.*

N. En casus in terminis, si res sit omnino dubia, an matrimonium sit validum, sive ob absentiam alicujus essentialis, sive ob praesentiam obicis irritantis, non est necessaria dispensatio, sed ad summum, tollendi scandalum gratia, prudentialis declaratio, quam etiam vir doctus facere potest, quod ma-

trimonium illud non egeat dispensatione. Hinc patet inanem esse Anonymi replicationem, quod Papa non sit locutus de opinionibus inter T. T. oppositis circa aliquod jus dubium: si enim, juxta Anon. Papa locutus est de opinionibus Missionariorum, hi autem opposita opinabantur juxta oppositas T. T. circa juris dubia sententias, copio locutus est de contrariis T. T. opinionibus spectantibus ad jus dubium; alii enim Missionarii poterant cum T. T. judicare tale signum externum non esse satis, tale impedimentum esse juris naturae; alii cum aliis judicare oppositum: ergo tota Missionariorum lis fuit, qualis esse solet inter T. T. circa ea, quae praecedunt matrimonium; ex. gr. an matrimonium tali intentione, conditione, libertate, errore, vel obice initum, quae omnia sunt dubia juris, erat validum, praesertim cum Guarani, ut pote Barbari, poterant suis matrimoniis miscere plura contra matrimonij valorem, & immemores esse quo sine contraxerint, & ignorare suas leges irritantes matrimonium; quibus positis, Missionariorum mens valde fluctuabat.

Instat 2. Anonym. *n. 64.* quod P. Teril. ea verba, *quamvis illa fuerit minus probabilis*, addiderit, cum Papa unice dicat, quod sequatur Barbaris favorabiliorum.

Sed contra 1. quia bene hoc intulit P. N. Teril. nam si inter certò probabiles sequenda est Barbaro favorabilior, sequitur, quod si minus, certò tamen probabilis, sit ei favorabilior, licebit eam sequi. Dein rogo, an hanc clausulam, *si favorabilior sit notorie probabilior*, vel Missionario moraliter certis, addiderit Urbanus? si non; cur P. Terillus non poterit addere tuam, cum Anonymus suam addat? Rursus rogo, quinam magis accedat ad Urbanum dicentem, ubi sententiae DD. utrimque probabiles intercederent, sequerentur Barbaro favorabiliorum; an P. Teril. addens, *etsi ea foret minus probabilis*; an Anonymus negans licitum sequi omnem inter DD. probabilem, nisi sit Missionario probabilior? Sanè qui negat, opponitur directè Urbano; qui affirmat, adheret Urbano, nam minus probabilis, juxta P. Teril. manet etiam respectu ad probabiliorem, certò probabilis: ergo si Urbanus concedit Missionarijs, ut sequantur omnem inter DD. certò probabilem, concedit quoque (ait P. Teril.) ut sequantur etiam minus, certò tamen inter DD. probabilem. Non miror, quod Anonymus hoc impugnet, nam, juxta Probabilioristas, nulla minus probabilis manet relativè probabilis, cujus oppositum docent Probabilistae.

Contra

N. 201. Contra 2. quia ægrè semper tuli trivialem certitudinem moralem quantitatem, quam in quâlibet tuâ opinione jactant Probationis, hæc enim nec est juxta Christianam sapientiam, & modestiam, nec juxta prudentiam, & humilitatem, adeo omnem meam opinionem extollere, & me tantum rectè sapere, ut mihi despicienda sit omnis aliena opposita meæ, & Adversarios meo judicio certo errare: ergo præter hoc, quòd ea quantitas certitudinum moralium chimærica sit, ob sequeclarum absurditatem rejicienda est: ergo velle, quòd Missionarij sequi non possint opinionem, nisi sit ijs quasi moraliter certa, (hoc enim significant ea verba, *clare, manifestè, notoriè, & evidenter probabiliter*, ita ut opposita non maneat probabilis) est velle chimæram, & se solum sapere, & alios eorum judicio desipere. Sanè P. Sanch. in hæc ipsa matrimonij materia *lib. 2. d. 41. n. 42.* oppositam propriæ vocat probabilem, utque sibi, nam oppositis DD. ea est probabilior; imò *lib. 7. d. 51. n. 12.* oppositam propriæ vocat *probabilissimam*. Similiter P. Dica. *lib. 2. d. 36.* oppositam suæ ait valde probabilem, imò *n. 449.* oppositam vocat *probabilissimam*.

N. 202. Contra 3. Si verum foret, quòd ait Anonymus. nym. quòd opinio de nullitate matrimonij Guaranorum fuerit Missionarijs moraliter certa, sequitur 1. Missionarios inaniter laudatos ut doctos, & pios; quilibet enim vel leviter tinctus, scit satis esse certitudinem moralem nullitatis, ut alij nubere possit, ut bene P. Sanch. *lib. 2. d. 45. n. 4.* Sequitur 2. quòd si illis certa moraliter fuit nullitas matrimonij, non poterant Missionarij obligare convertum ut primam duceret, imò poterat conversus cum quolibet nubere: ergo si obligabant ad primam, non erat illis certa nullitas matrimonij. Sequitur 3. quòd ignoranter recurrissent ad Papam pro dispensatione, quia nulla est necessaria dispensatio, quoties sum moraliter certus, me eam non egere; imò inaniter, quia Papa in matrimonio Infidelium inuito ante baptismum nil potest dispensare, ut omnes T. T. docent; non enim Papa dispensare potest impedimenta juris nature.

N. 203. Contra 4. Etsi in alijs materijs, & in matrimonio Fidelium facilis esset certitudo moralis de valore, & nullitate, non tamen in matrimonio Infidelium. Audiatur P. Sanch. qui postquam dixit *lib. 2. d. 45.* satis esse certitudinem moralem de nullitate, ut quis possit alij nubere; eamque esse, quæ virum prudentem attentis circumstantijs certum redderet, monet tamen, Judicis arbitrio com-

mittendum, ut prius matrimonium authenticè declaratur fuisse nullum: imò *l. c.* descendens ad conjecturas, quæ faciunt certitudinem moralem, citat *n. 10.* Veracruz volentem, sibi probabile esse quòd Indorù matrimonium sit nullum, attentà eorum indole, & more facile fictè consentiendi. Rejicit hoc P. Sanch. negans ea omnia satis esse ad formandum judicium probabile de nullitate matrimonij Indorum: ergo multo magis satis non erunt, ut formetur judicium certum de eadem.

Confirmo: quia si ponderetur præcipua N. causa petendæ dispensationis relata à Card. de Lugo, imò à P. D. Thyrio *n. 49.* quòd Barbari dimittant *primam conjugem, non aliter, quam nostri famulos, & famulas, & hoc solum, quia conjux infirmatur, imò frequenter* (en potior ratio dubitandi) non unam solum uxorem accipiunt, sed simul cum eâ omnes ejus filias, vel sorores, si quas habent; si hæc ponderentur, tam impossibile est judicium certum de nullitate matrimonij, quam est certò moraliter decernere, qui gradus consanguinitatis, & affinitatis dirimat jure nature matrimonium, ut legi potest in P. Sanch. *lib. 7. d. 51.* Si ergo Guarani matri, & matris filia, & matris sorori nubebant, poterant merito Missionarij docti, & pij dubitare, ex gr. an concubitus cum matre solveret matrimonium cum filia: ergo nisi certitudinem morale inter classicas tententias gratis fingamus, poterant ad summum Missionarij formare judicium probabilius de nullitate matrimonij cum primâ, ita tamen ut simul esset certò probabile esse validum cum eadem: ergo acutissimè Vrbano dixit, ubi tententia DD. hinc inde probabiles intercederent, sequerentur Barbaris favorabiliores: ergo ex Vrbano si Missionarius opinionem stantem pro nullitate judicasset certò probabile, (quidquid sit, an stans pro valore esset ei probabilior) poterat deposito judicio probabiliori pro valore, permittere, si baptizaretur, ut alteri nuberet.

Instat 3. Anon. *n. 65.* quòd si interpretatio P. Terilli docentis, quòd ex Vrbano liceat minus probabilis, si sit favorabilior, est vera, Vrbano docuerit opinionem ab Innoc. XI. damnatam, *Non est illicitum in Sacramento sequi probabilem de valore, relicta tutioris* imò P. Teril. sibi opponitur, docet enim, quòd ubi agitur de valore Sacramentorum, non sit licitum sequi minus tutam minus probabilem, eamque probabilitatem esse purè speculativam, non practicam.

Sed contra; quia nulla in P. Terillo contradictio; quòd enim docet est, licitum sequi

Tom. II, M iij omnm

omnem certo *prædictæ* probabilem: sed quod hic contractus sit validus, hæc aqua sit naturalis, non est opinio practica, sed purè speculative: ergo nulla contradictio. Deinde quod docet P. Teril. nos quoque docebitur, nempe in materiâ Sacramentorum numquam licere sequi minùs tutam, non tantùm minùs, sed nec magis probabilem, si addit tutior. Adde hoc ab omnibus solvendum, ut ostendam *sect. seq. & d. 14. sect. 1. §. 1. & 2.*

N. Dices ex Anon. n. 67. assignari non posse
207. quæstionem de jure spectantem ad rem præsentem, in qua sententiæ DD. utrumque probabiles dentur, & Urbanus consulat sequendam Barbaris favorabiliorem, quin nec hanc quæstionem P. Teril. assignat. Quare

Anony. Anon. n. 68. subdit, se post sinceram veritatis studium judicare, non nisi duplicem de jure quæstionem assignari posse. Una est, an in dubio facti de valore matrimonij in infidelitate contracti, possint converti ad fidem, aliud pro libito inire, etsi æquè, aut probabilius judicaretur primum esse validum, & à Papâ non solveretur? Altera est, an in casu præfenti satis esset moralis certitudo de nullitate primi, (qualem re ipsâ Missionarij habebant) ut sine scrupulo permitterent Barbaris aliud pro libito? Quod si quis dixerit, (ait Anon.) quod prima quæstio agitata fuerit inter Missionarios, & in eâ probabiles DD. sententiæ intercedere, nam quærent TT. an dubitans de obice dirimente possit inire matrimonium? Negant communiter

P. Laym. cum P. Layman *lib. 1. tr. 1. cap. 5. §. 3. n. 23.*
P. Pala. & P. Palao de Cōsc. *d. 3. punct. 8. n. 10.* e contra primus omnium P. Sanch. *lib. 8. d. 6. n. 18.*
& Diana *part. 10. tr. 13. resol. 1.* affirmat in dubio standum pro libertate contrahendi:

atque adeo aliqui Missionarij hæc opinione ducti, dubitantes de valore primi poterant Barbaris aliud permittere, etsi alij contrariâ opinionem, ut probabiliorem, & tutiorem, sectandam esse vellent, & Urbanus super hoc consultus dixerit, non videri sibi speciali sua dispensatione opus, ubi DD. sententiæ probabiles intercederent. Si ita esset, ait Anon. n. 69. quod planè P. Teril. triumpharet.

N. Gaudeo, quod Anonymus tandem victo-
208. riæ palmam, casu quo ea prima juris quæstio inter Missionarios agitaretur, P. Terillo adjudicet. Porrò, quod ea, aliæque plures similes quæstiones agitari potuissent inter Missionarios, stantibus pro utràque parte probabilibus DD. sententijs, tam exploratum est, ac est, quod matrimonij Fidelium, & Infidelium valor ab illis pendeat; si enim

Fidelium matrimonium, quod regulariter maiori maturitate, & meliori conscientia mitur, pluribus quæstionibus juris subiectum est, quanto magis Infidelium, qui effrahi libidine præoccupati poterant, vel ignorare, vel non meminisse, an consentirent, an externè contraxerint, an intentione perpetuitatis, an sine obice jure naturæ irritante? etsi enim certum TT. sit, quod matrimonium sit conjunctio maritalis viri, & feminae inter legitimas personas individuâ vite consuetudinem retinens, ut habetur ex jure Canonico apud P. Sanch. *lib. 2. d. 1. n. 1. P. 52.* & licet in pluribus omnes TT. conveniant, nempe ad matrimonij valorem requiri, tum libertatem, tum externum contractum, tum intentionem perpetuitatis, tum absentiam omnis impedimenti irritantis, attamen in pluribus disconveniunt, & pro utràque parte dantur certo probabiles TT. sententiæ, ex. gr. de ipso mutuo consensu, de externo contractu, de intentione, & libertate nubentium; de impedimentis jure naturæ dirimentibus: ergo omnes istæ juris quæstiones inter Missionarios locum habere poterant; quatenus aliqui judicarent, ex. gr. hunc obicem esse juris naturæ, & novum pro libito permittere conjugium; alij contra esse tantùm juris Ecclesiæ, & obligare ad primum: ergo dum Urbanus sanctè consuluit, sequendam inter probabiles Barbaro favorabiliorè, concessit Missionarijs, ut quilibet certò probabilem Barbaro favorabiliorè sequerentur: ergo poterat Missionarius, deposito proprio iudicio sibi probabiliori pro valore, conformare se alieno sibi etiam certò probabili pro nullitate, si Barbaro convertendo favoreret, & permittere, ut nuberet, cui mallet.

Quod autem Anon. dicit inter Missionarios controversari potuisse, an satis esset certitudo moralis de nullitate, (quâ certitudine gaudebant Missionarij) ut absque scrupulo Barbaris permitterent aliud inire, non placeat: quia nemo dubitare potest, quod satis sit certitudo moralis de nullitate, si enim ea satis est inter Catholicos, quorum matrimonium Sacramentum est; certus enim moraliter de morte conjugis potest alteri nubere, quanto magis satis erat inter Barbaros? Ergo inter Missionarios nullum potuit esse dubium de sufficientiâ certitudinis moralis de nullitate primi, ut aliud permitterent. Secundò, etsi daretur Missionarios formalè scrupulum de nullitate, & ideo ad Papam appellasse, ex hoc ipso sequitur, nullitatem non fuisse illis moraliter certam; vel enim scrupulus erat prudens, vel imprudens? si impru-

SECTIO IX.

Alia in idem intentum.

Notanda.

SUMMARIUM.

- Matrimonium Infidelium per baptismum fit Sacramentum, n. 211.
- An insolubilitas sit tantum a jure naturali? ib.
- Consummatum Infidelium, si uterque baptizetur, est solubile a Papa; si unus tantum, est ex privilegio Christi D. ib.
- Conjugium Fidelium ratum est insolubilius consummato Infidelium, n. 212.
- Etsi Papa solvere possit, nil dispensare potest in conjugio Infidelium, n. 213.
- Quam sapienter Urbanus, n. 214.
- Stulte supplicatus fuisse, ut solveret, n. 215.
- Ad quem iudicem spectet declarare auctoritative nullitatem? ib.
- Quarum habebant sororibus, & sibilibus uxoris, n. 216.
- Valor facti pendet a jure, ib.
- Quid dubium positivum, & negativum? n. 217.
- In puro dubio ad matrimonium initum possessio stat pro inito, ib.
- Si certitudo moralis haberi nequit, necesse est regulariter iudicium probabilis de nullitate, ut initum declaratur nullum, n. 218.
- Maiora necessaria sunt motiva pro declarando nullo Fidelium, n. 219.

impudens, despiciendus erit, nec erat attendendum ad Papam; si prudens, ut erat, eo ipso carere certitudine moralis, hanc enim non ita equam prudenti serupulo; sed ad summum formarent iudicium probabile, aut probabilis de nullitate, & ideo Urbanus sapienter respondit, non videri sibi speciali dispensatione opus, ubi DD. sententia utrimque probabiles adessent: vel enim matrimonium erat jure naturae nullum, & tunc erat indispensabile, quia Papa nil potest impedimenti jure naturae dirimentibus; vel erat jure Canonico nullum? & hoc nobis, quia Infideles ante baptismum non subjacent juri Ecclesiae: ergo sapienter dixit, non esse opus, et valide cum alia nuberent, sua speciali dispensatione.

N. Confirma rogando quid Missionarij ab Urbano petebant; an ut declararet matrimonium Guaratorum nullum, aut validum? & hoc non, quia utrumque aliunde scitur: an ut dispensaret? & hoc non, quia vel eorum matrimonium erant naturae jure valida, vel nulla? si valida, non egebant dispensatione, si uterque converteretur; quod si unus tantum converteretur, nec tunc egebant dispensatione. Papa solventis matrimonium; nam ex Christi D. privilegio solvit matrimonium validum, si alter conjux converti nolit; si erant nulla, tunc Papae dispensatio impossibilis est, ut ait P. Sanchez, lib. 8. d. 6. n. 10. quia Papa nil potest circa obiectum juris naturae. Quia ergo Missionarij docti petebant? Sane doceri, quid in dubio positivo de valore matrimonij facere debeant; an obligare ad primam, an concedere, ut nuberent cui vellent. Papa autem dixit opus non esse sua speciali dispensatione, ubi sententia DD. hinc inde probabiles intercederent. Quasi diceret: Considerent Missionarij probabiles saper illud dubium DD. sententias, quae si revera adfuerint, sequantur Barbaris favorabiliorem. Si enim licet Anonymo interpretari, si adfuerint sententiae hinc inde probabiles, Missionarij sequantur sibi probabiliorem Barbaris favorabiliorem; cur non licebit P. Tesillo, retentis ferè omnibus Urbani verbis, interpretari, quod Missionarij ex certo probabilibus DD. sententijs sequantur Barbaris favorabiliorem? Hinc patet, quod si Missionarij classica DD. sententia innixus putasset talem gradum in linea recta irritare jure naturae matrimonium, poterat in favorem Barbari convertendi declarare nullum, et si ea sententia non esset sibi probabilior, sed tantum aequè probabilis; poterat enim, deposita propria opinione, assumere alienam, quae saltem reflexè fiebat ei probabilior.

Certum est quod inter Infideles ante baptismum dari possit verum matrimonium, quod per baptismum fit deinde Sacramentum. Rursus de essentia omnis matrimonij Fidelium, & Infidelium esse vinculi insolubilitatem, siue haec a jure naturae, siue a Divino proveniat; cum hac differentia, quod consummatum Fidelium ne quidem a Papa solvi possit, potest autem consummatum Infidelium, si uterque baptizetur; quod si unus tantum baptizetur, solubile est ex privilegio Christi D. ob cultus disparitatem. Lege P. Sanchez, lib. 2. d. 13. & 17.

Hinc patet 1. quod matrimonium Fidelium, dumtaxat ratum, fit insolubilius consummato Infidelium, etsi per baptismum fiat Sacramentum. Ratio est quia cum ante baptismum fuerit consummatum, non repraesentat insolubilem, per carnem assumptam, Christi D. cum Ecclesia unionem, & ideo consummatum ante baptismum Infidelium matrimonium reputatur tamquam matrimonium Fidelium ratum, quod a Papa est solubile; matrimonium enim praecipuam suam firmitatem habet ex eo, quod elevatum sit ad esse sacra-